

BOLETÍN DEL CLERO

DEL

OBISPADO DE LEON

Sagrada Congregación de Indulgencias

I

Distancia que debe mediar entre las iglesias en que se gana la indulgencia de la «Porciúncula»

MEDIOLANEM.—Emus. et Rvms. Archiepiscopus Mediolanensis huic S. Congrni. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae sequentia dubia exhibuit solvenda circa modum quo metienda est distantia inter duas Ecclesias, quae privilegio Indulgentiae de *Portiuncula* nuncupatae ditatae sunt, quum in Brevibus Apostolicis nec non in Rescriptis huius S. Congregationis apponitur clausula: «Dum modo eo loci» nulla extet Franciscalis Ecclesia, aut alia simili ditata privilegio, vel, si extet, unius saltem milliarii spatio ab ea »distet»; nimirum:

I. Qualis sit mensura metrica, quae unius milliarii spatio respondeat?

II. Quomodo talis distantia (unius milliarii) sit metienda; an ex via communi, quae ab omnibus peragatur, vel ex quibusdam semitis, quae utramque Ecclesiam inter se coniungunt?

III. An clausula supradicta privilegium irritum faciat, quando distantia non existit inter unam et alteram Ecclesiam privilegio *Portiunculae* ornatam?

Et Emi. Patres in Generali Conventu ad Vaticanum habito die 18 Augusti 1904 propositis dubiis responderunt:

Ad I.^{um} Milliarum respondet metris 1489.

Ad II.^{um} *Affirmative* quoad 1.^{am} partem; *Negative* quoad 2.^{am}.

Ad III.^{um} *Affirmative* post annum 1878, quo praefatae clausulae appositio fuit praescripta.

Quas Emorum. Patrum responsiones relatas ab infrascripto Cardinali Praefecto in Audientia habita die 14 Septembris 1904, SSmus. Dnus. Ner Pius PP. X benigne confirmavit.

Datum Romae ex Secria. eiusdem S. Congrnis., die 14 Septembris 1904.

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*

L ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

II

Téngase en cuenta la posesión secular del culto tributado á una Espina de la Corona de Nuestro Señor Jesucristo.

PALENTINA.—Rmus. Episcopus Palentinus Henricus Almaraz y Santos huic S. Congr. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae quaestionem dirimendam exhibuit de authenticitate unius ex spinis Coronae Dni. Nri. Iesu Christi, quae asservatur in Sacratio Ecclesiae parochialis suae Dioecesis *Sanctae Maria ad Spinam*, cui olim adnexum erat Monasterium Monachorum Cisterciensium. Porro S. Congtio, ad quam Episcopus Palentinus de hac re documenta examinanda detulit, sequens dubium solvendum proposuit:

An ex deductis ab Episcopo Palentino moralis certitudo habeatur de S. Reliquiae authenticitate in casu, ita ut illa cultui publico proponi in posterum valeat?

Et Emi. Patres, in Generali Congregatione habita die 18 Augusti 1904 in Palatio Vaticano, respondendum mandarunt:

Non esse interloquendum super deductis ab Episcopo Palentino. Sed, attenta potius saeculari cultus possessione S. Reliquiae exhibiti, Episcopus utatur iure suo.

Quam Emorum. Patrum resolutionem in Audientia habita die 14 Septembris 1904 ab infrascripto Cardinali Praefecto SSmo. Dno. Nro. Pio PP. X relatam, idem SSmus. benigne probavit et confirmavit.

Datum Romae ex Secria. eiusdem S. Congnis. die 14 Septembris 1904.

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

III

Las cruces del Via-Crucis pueden fijarse sobre una pieza de madera, siempre que esté fija y resalte lo suficiente.

VENETIARUM. — Huic Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepoesitae, circa locum ad quem Cruces affigi debeant in erectione Stationum Viae Crucis, sequentia dubia dirimenda sunt proposita:

I. Utrum ad validitatem erectionis sit essentialis conditio, ut Cruces ad parietem tantum affigantur; an vero affigi possint etiam supra scamna, quin erectio sit invalida?

Et quatenus affirmative quoad 1^{am} partem:

II. Utrum erectiones dictarum Stationum cum affixione Crucium supra scamna, convalidatae censendae sint a recentioribus Decretis huius Sacrae Congregationis, quibus sanati fuerunt omnes defectus admissi in erigendis Stationibus?

Et Emi. Patres, ad Vaticanum coadunati die 18 Augusti 1904, responsum dederunt:

Ad I^{um} Quoad 1^{am} partem *Negative*; quoad 2^{am} *affirmative*, dummodo scamna sint inamovibilia et satis erecta.

Ad II^{um} Erectiones Stationum cum affixione Crucium supra scamna inamovibilia non indigere sanatione; erectiones vero Stationum cum affixione Crucium supra scamna amovibilia convalidatas quidem esse a recentioribus Decretis huius S. C.;

iniungitur tamen, ut Cruces a scamnis amovibilibus removeantur, et ad locum stabilem affigantur.

De quibus relatione facta SSmo. Dno. Nro. Pio PP. X in audientia habita ab infrascripto Cardinali Praefecto die 14 Septembris 1904, Sanctitas Sua Emorum. Patrum responsiones ratas habuit et confirmavit.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C., die 14 Septembris 1904.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*



*Decreto de la Sagrada Congregación del Concilio
resolviendo de manera definitiva la cuestión referente á lo. días de
Sermón de los Magistrales en las Catedrales de España*

(Continuación)

Fatendum est per illa verba Tridentini, *aliisque ex sacris canonibus permissis*, vago modo circumscribi ac determinari amplitudinem materiae circa quam possit versari potestas legifera Conc. provincialis; at pariter concedendum est communi Canonistarum consensu ita interpretari, ut sub illis verbis optime intelligi posse videatur potestas concedendi illos octo dies absentiae a choro de quibus controvertitur. Sic Schmalzgrueber (*Dissert. proem. n. 358*) loquens de potestate concilii provincialis, dicit: *Decreta morum facere quidem possunt, sed haec ultra provinciam vim obligandi non habent*. In qua amplissima materia *decreta morum* manifeste videtur comprehendi lex Compostellana. *Praedicatori* (id est Canonico Magistrali) *liceat, quoties sermonem est habiturus, per octo dies integros abesse* (a choro). Magis explicitè adhuc Fagnanus in Cap *Sicut olim V De Accusationibus*, postquam n. 59 generaliter exponit Conc. Provincie debere suis decretis procurare, ut observentur quae de vita, honestate, *cultu et eorum officiis et functionibus* a sacris canonibus, maxime in ultimo generali Concilio (Trid) decreta sunt;

n. 65 subiungit: *De his quae ad debitum in divinis officiis regimen spectant deque congrua in is canendi seu modulandi ratione, de certa lege in choro conveniendi et permanendi, simulque de omnibus Ecclesiae ministris quae necessaria erunt, et si qua huiusmodi, pro cuiusque provinciae utilitate et moribus certam cuique formulam praescribet.* Tandem n. 78 addit potestatem Conc. Provinc. ad alia multa extendi *quae totam provinciam concernunt et sunt praeter ius commune* (Comment. in V Decret, De accusat. cap. 25, Sicut olim).

»Fagnano consonant generatim canoniste, qui pariter Conc. Prov. agnoscunt potestatem condendi leges praeter ius commune, quorum citationes multiplicare, esset prorsus inutile.

»Iam vero lex Compostellana, quae canonico Magistrali sive praedicatori concedit octo dies absentiae a choro, quoties ex officio concionem in ecclesia Cathedrali est habiturus, est, ut asseritur *praeter ius commune* nec proinde excedit limites potestatis Conc. Provinc. concessae. Quod exinde deducitur: 1) quia lex statuens *licitam* talem absentiam versatur in *materia morum*, et ex Triden. supra citato *morum* disciplina est materia circa quam leges ferre potest Conc. Provinc. 2) Quia canonicus Magistralis, utpote pertinens ad solas Ecclesias Hispaniae, est omnino *extra ius commune*, nullibi enim ius commune loquitur de canonico Magistralis qui licet *ut canonicus* subiiciatur praescriptionibus iuris communis, at non ut Magistralis, seu Praedicator ex Officio; ac proinde bene potuit Conc. Compostellanum concedere illos dies absentiae quin ius commune laederet; unde inferunt in casum non recte allegari contra hanc legem *cap. unic. de cleric. non. resid. in 6 et cap. II, sess. 24, Conc. Trid.*; huiusmodi enim allegationes desumuntur ex iure communi, quod nullatenus comprehendit Magistrali, ut talem.

»Quodsi Conc. Compostellani dispositio vim legitimae dispositionis obtinet in provincia pro qua lata est, pari ratione, ut dicitur, eandem vim obtinere debet in universa Hispania propter acceptationem reliquarum provinciarum vel ecclesiarum. Ex qua acceptatione, cum illa dispositio transformata fuerit in generalem disciplinam pro universa Hispania, iam nulli Episcopo licet eam immutare sine relicuorum Episcoporum Hispaniae consensu.

»Aliunde videtur illi legi Compostellanae accessisse saltem tacitus consensus R. Pontificis, cum per tot saecula illum canonem Compostellanum Sedes Apostolica non ignoraverit.

»Neque praedictae legi Compostellanae legitimum deesse videtur fundamentum ex ipso iure communi desumptum. Nam Canonicus Magistralis in casu exercet munus suo officio adnexum et censetur agere in utilitatem ecclesiae choralis, sicut Poenitentiarius et Lectoralis sive Theologus. Atqui exercentes munus suo officio adnexum et agentes in utilitatem Ecclesiae censentur praesentes in choro, etiam ad effectum lucrandi distributiones, ut patet ex allatis exemplis Lectoralis et Poenitentiarium, quorum alteri pro diebus, quibus legit, alteri pro horis quibus confessiones audit ficta praesentia conceditur. Ergo Canonico Magistrali ius competit fictae praesentiae toto tempore quo debet se praeparare ad concionem habendam; quod tempus, cum ex Conc. Compostellano ad octo dies se protendat, legitimum est dicendum. Ita illi qui partes canonico Magistralis tuentur.»

Cum H. S. C. votum exquisiverit ab Emo. Archiepiscopo Compostellano, haec Emus retulit.

Praemisso quod concilium Compostellanum celebratum fuit post duos annos a Conc. Trid. et quod innumeri Patres qui interfuerunt dicto Concilio Compostellano, iam interfuerant Concilio Tridentino, non posse, ait, absque iniuria Patrum Concilii Compostellani affirmari ipsos transgressos fuisse recentissima Decreta Concilii Tridentini circa residentiam canonicorum: e contra tenendum esse ipsos interpretatos fuisse et aplicasse pro sua provincia decreta Concilii Tridentini. Iamvero Concil. Trid. Sess. V, cap. 2, statuit ut Episcopi sive per se sive per alium praedicent S. Evangelium. Et in Hispania vi Bullae: *Creditam nobis Xisti IV*, iam erat in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis canonicus Praedicator, qui vices ageret Episcopi legitime impediti, quaemadmodum canonicus Poenitentiarius ab ipso Concilio Trid. institutus, vices agit Episcopi. in sacro tribunali poenitentiae. Si igitur Concil. Trid. concessit canonico Poenitentiarium absentiam a choro, dum audit confessiones, nil mirum si Concilium Compostellanum concedit canonico Magistrali octo dies fictae praesentiae in choro, ut praepararet concionem suam.

Praeterea nemo reprehendit Concil. Compostellanum pro concessione facta canonico Doctorali, ita ut censeatur praesens in choro, quoties causam Ecclesiae agere debeat. Ergo nemo debet reprehendere ipsum Concilium, quando tale privilegium extendit ad canonicum Magistralem.

Insuper inter causas legitimas abessendi a choro numeratur procuratio negotiorum ipsius Capituli, cui competit ius aliquos canonicos mittendi ad defendendam Ecclesiam quin necessaria sit venia S. Sedis vel Episcopi. Porro si talia potest capitulum, eandem potestatem habere convenit pro canonico Magistrali Concilium Provinciale Compostellanum. Si enim Capitulo onus incumbit curandi bona temporalia, pari contentione si non fortiori saltem curare debet aeterna.

Demum adnotato, quod potestas Conc. Provincialis non adeo restringitur, quin multa statuere possit quae concernunt totam provinciam, praeter ius commune (Fagnanus *cap. sicut olim V, de Accusationibus n. 73*) et quod Xistus IV per concessionem factam Ecclesiis Castellae et Legionis ut in iisdem erigeretur praebenda Magistralis, sanxit specialem disciplinam pro Eccl. Hispaniae ita *pergit*. Haec disciplina Concilii Compostellani concordat cum iure communi.


Nam ex iure communi lucrantur distributiones illi qui choro non adsunt ob evidentem ecclesiae utilitatem.

Porro ad evidentem ecclesiae utilitatem pertinet munus canonici Magistralis, magis quam munus canonici Poenitentiarii. Quia dum capitulum nullam habet utilitatem ex eo, quod aliquis audiat confessiones, magnam e contra habet in audiendo concionem, cui Capitulum praesens esse tenetur.

Insuper munus adnexum alicui praebendae ius tribuit percipiendi distributiones pro tempore necessario ad illud exercendum. Si igitur aliquot dies canonico Doctorali conceduntur, canonico etiam Magistrali pari iure aliquod dies concedi possunt.

(*Se continuará.*)

BIBLIOGRAFÍA



Con el epígrafe *De Immaculata Conceptione Mariae Virginis secundum S. Thomam in Summa Theologica scholium* se ha publicado un opúsculo que nos complacemos en recomendar á nuestros lectores, especialmente á los Sres. Sacerdotes, seguros de que su lectura les habrá de proporcionar esa satisfacción que los amantes del saber encuentran siempre al vislumbrar un rayo de luz en medio de la obscuridad con que ciertas opiniones ocultan á veces á las miradas de la inteligencia la luz esplendorosa de la verdad.

Trátase de una vindicación de Sto. Tomás en sus relaciones doctrinales con el Misterio de la Inmaculada Concepción, en la que su autor, el Muy Ilustre Sr. D. Antonio Senso Lozano, Canónigo de la Sta. I. Catedral de Madrid y docto Profesor de aquel Seminario, haciendo gala de su erudición y profundos conocimientos en la doctrina del Angel de las Escuelas, como que rasga el tupido velo que ocultaba á muchos el verdadero sentido del art. 2 de la cuestión 27 de la tercera parte de la Suma y les hacía suponer al Doctor Angélico impugnador del Dogma de la Concepción sin mancha, con menoscabo de su figura de gigante con que se ostenta sobre las cumbres de la ciencia de Dios y de sus obras.

Por eso no dudamos en recomendar una vez más, el breve, pero valioso opúsculo (de venta en las principales librerías, al precio de una peseta en rústica), el cual tanta luz proyecta sobre la tan debatida cuestión en las escuelas, respecto al punto de referencia.